178

ATOMI THETICÆ EX UNIVERSA MEDICINA COLLECTÆ

QVAS

D. T. C. M. A.

SUB

SERENISSIMI ET REVERENDISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI

ALBERTI SIGISMUNDI

EPISCOPI FRISINGENSIS ET RATISBONENSIS, UTRIUSQ; BAVARIÆ ET SUPERIORIS PALATINATUS DUCIS,

COMITIS PALATINI RHENI, LANDGRAVIJ LEICHTENBERGICI &c. &c.

CONSTANTIENSIS ET OETINGANI PRÆPOSITI &c.

PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI SVI CLEMENTISSIMI

Velut Splendidiſſimi Solis

RADIIS

IN ALMA ET ELECTORALI UNIVERSITATE INGOLSTADIENSI,

PRÆSIDE

JOANNE HENRICO SCHEIFLER,

Philoſoph. & Medicinæ Doctore, Huiúſque Profeſſore Ordinario Seniore, & nunc Decano, nec non Sereniſſimi Electoris Bavariæ &c. Conſiliario,

Microſcopio Diſputatorio publicè perluſtrandas propoſuit

MATTHÆUS BLAUU, Ehinganus Suevus, Philoſophiæ Candidatus & Medicinæ Studioſus.

Anno M. DC. LXXVIII.

SERENISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS, DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

Imaginem TUAM TIBI *in Emblemate dico, dedicóque. Munus nec offerre dignius potui, nec pretioſius licuit. Nam & Imago ab Archetypo, cujus eſt typus, & Emblema ab imagine, quam adumbrat, ſic, uti pretium ſummum, dignitatem pariter maximam trahit; proinde tam in ſe pretioſum, tam dignum munus aſpernari eò non poteris, ut illud oculi nutu benigno non approbes, animi facilitate congenitâ non admittas. Quod auſim tum demum ſperare alacriùs, cùm intelliges, quid in muta pagina facundiſſimum Symbolum de* TE *jure eloquatur, quid prædicet? Nam etſi ea Virtuti inſita natura eſt, ut nil maximè, quàm ipſa laudare ſe oderit, amétque pro more in obſcuro delitere, tamen, cùm jam Orbi toti ſpectabilis, atque manifeſta reddita eſt, meritò Famam ad præconium, mortales ad ſcenam atque admirationem citat. Vides* SERENISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS *in aperto Anatomiæ Theatro, Gloriæ* TUÆ, *hoc eſt, Virtutum* TUARUM *(quæ ſumma eſt Gloria) ſcenam ſpectatiſſimam? Hîc reducto ſtellatæ noctis ſipario, ſupra Eccleſiarum* TUARUM *Horizontem evectus Aſtrorum Rex thronum ſibi in Zodiaco ſuo figit, ex quo in membrum Micro-coſmi Princeps, Cor hominis intelligo, quod illi ſubjectum Natura fecit, jura ſua diſpenſet, atque exerceat dominatum. Voluit autem ſtipari, hinc quidem Leone Bavaro atque Librâ Themidis; inde Arcitenente atque Aquario ceu totidem Regni Aſſeſſoribus, ſinè quibus in Cor humanum nil ageret, nil deliberaret. Nam cùm in ea portione Corporis, tanquam in humanæ vitæ Fonte vitalis ille Succus effici debeat, ex quo & corpori Sanitas, & animo præſertim Vigor afferri poſſit, quânam ratione generoſas iras accenderet in pectore, niſi Flavæ ſcintillam Bilis Leo Magnanimus injiceret? Ardorem injectum quis refrigeraret, niſi Pituitæ humorem Aquarius inſpergeret? Ingenio acumen quis adderet, niſi Vividum Sanguinem ſtimularet Sagittarius? Quis maturitatem & pondus Judicio ferret, niſi Bilanx Melancholiam ei admetiretur, per quam omnia momentis ſuis libraret? In ſingulis Laudem* TUAM SERENISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS *manifeſtè legimus. Neque enim tam obſcura ænigmata ſunt, quæ non clariſſimis jam dudum factis* SERENITAS TUA *revelârit. In* SOLE *ſplendorem* SERENISSIMÆ DOMUS, *ſed multò magis jubar Virtutum* TUARUM *agnoſcimus, quæ* TE *Ducali jam Mitrâ coronatum ad quatuor Eccleſiarum Inſulas Meritiſſimum evexêre. In Leone Magnanimo* FORTITUDINEM TUAM *imperterritam; in Librâ fideliſſima* ÆQUITATEM *immobilem; in Sagittario intentiſſimo* PRUDENTIAM *acerrimam; in Aquario denique frugaliſſimo* TEMPERANTIAM TUAM *moderatiſſimam venerabundi admiramur. In* CORDE *quem alium, niſi* TE *ipſum, Patriæ Corculum, ſubditorum Delicium, Eccleſiarum* TUARUM *Vitam ſuſpiciamus? quem alium amemus? Quemadmodum enim ab humano corde Purpureum illud Balſamum vitæ, ex quatuor permiſtum humoribus, vitalique ſpiritu refertum per omnes Micro-coſmi arterioſos canales liberaliter derivatur, ita ſuaviſſima* TUA *Gubernatio, ex Quatergeminis illis Virtutibus meliorem in modum temperata, mortalium animis [illegible] illabitur, vitámque ac vigorem eum illis impertit, quem tum in Civili* TUA, *tum in Eccleſiaſtica, quam utramque moderaris, Republicâ nemo non vigere recentiſſimum obſtupeſcit. Id adeò palàm faciunt ſubjecti Epiſcopiorum* TUORUM *ac Præpoſiturarum Tutelares Genij, quos hîc intueris, dum accurſu ſuo exundantem è Corde* TUO *in omnes Beneficentiam* TUAM *gratiſſimis animi [illegible] certatim contendunt excipere, exceptam in ſuas quique Eccleſias continuo fluxu derivare. In quo cum omnes infinitam* TIBI *gratiam debeant, præ alijs multis id confitetur Dilectiſſimus Frater meus, ad quem non minimum Munificentiæ* TUÆ *rivum ire juſſiſti, quando & Canonicatu Friſingenſi, & Præpoſituræ Conſtantienſis Senatorio munere, & multis præterea gratijs, nec parcis, nec paucis, clementiſſimè dignatus es. Me quidem nulla* TIBI *merita, obſequia necdum ulla reddiderunt commendatum; Fraternâ tamen voluntate, &* TUA *cumprimis in omnes Clementiâ impulſus, Imaginem* TIBI TUAM CORDI, SOLI*que incluſam, animo, quàm poſſum demiſſiſſimo offero, id unum precatus, ut* SOLIS TUI *radio aſpectare vel unico, Cordis* TUI *affectu unico amplecti clementiſſimè digneris.*

SERENITATIS TUÆ REVERENDISSIMÆ

Devotiſſimus

MATTHÆUS BLAUU.

EX PROLEGOMENIS.

THESIS PRIMA.

I. MEDICINA [illegible] à ſummo Protoplaſtâ DEO [illegible] in totius Humani Generis Salutem [illegible] Sanitatem præſentem conſervandi, 2. & amiſſam reſtituendi.

II. Ex qua definitione Medicinæ Etymologia nominis, 2. Origo, 3. Antiquitas, 4. Nobilitas, 5. Dignitas, 6. Præſtantia, 7. Utilitas, 8. Neceſſitas, 9. Objectum, 10. Finis, 11. & alia hujuſcemodi evidentiſſimè demonſtrari poſſunt.

III. [illegible] Ars conjecturalis dicitur: 2. cùm ſit habitus cum vera ratione factivus. 3. [illegible] reponitur, 4. latent Theoria.

IIII. Dividitur namq; Diſciplina Medica imprimis in *Theoreticam & Practicam*. 2. Deinde in quinque illas celebratiſſimas, Technicas ſeu Eſſentiales Partes, *Phyſiologiam* nempe, *Pathologiam, Semioticen, Hygieinen & Therapeuticen*. 3. Quarum ultima ſuſus in *Chirurgicen, Pharmaceuticen & Diæteticen* [illegible].

V. Licet plures ſint Medicinæ Sectæ, 2. ſolæ tamen *Dogmatica* ab omnibus ſanioris judicii Medicis amplexanda eſt: 3. utpote Artem Medendi *Ratione & Experientiâ* [illegible] 4. hodie à Principibus ejus Authoribus *Hippocratica & Galenica* nominata. 5. *Empirica* [illegible] *Paracelſica & Helmontica*, ut in genere [illegible] 6. ita tamen ut in quibusdam ſua laude non ſunt privandæ. 7. *Magica* autem & *Superſtitioſa*, ut diabolica, impia & Chriſtiano homine indigna, exterenda.

EX PHYSIOLOGIA.

VI. PHYSIOLOGIA, quæ Medicinam cum Philoſophia indiſſolubili conjugij vinculo nectit, ſeptem *Res Naturales*, Sanitatem corporis viventis conſtituentes, explicat: *Elementa* ſcilicet, *Temperamenta, Humores, Facultates, Spiritus, Partes & Actiones*. 2. Sub quibus deinde plures aliæ [illegible] dictæ, ut *Calidum innatum, Humidum radicale, Ætas, Sexus, corporis Habitudo, Compoſitio, Figura & Color, Chylus*, [illegible] *Tranſpiratio &c.*

VII. ELEMENTA quatuor, *Ignem, Aërem, Aquam & Terram*, actu in mixto manere potior Medicorum Pars probabiliter ſupponit, accuratiori eorundem trutinatione hodie Peripateticorum ſcholis relicta.

VIII. [illegible] in HOMINE [illegible] durare nequeat TEMPERAMENTUM Æquale ad pondus: [illegible] Partium verò corporis humani temperatiſſima eſt Cutis; [illegible] tanquam ſenſus Tactûs Inſtrumentum & Judex. [illegible] occultarum qualitatum, probabiliter oriuntur mirabiles illæ in homine *Sympathiæ & Antipathiæ*, animorúmque inclinationes.

IX. Per HUMOREM hîc loci intelligitur *Subſtantia liquida, palpabilis, in corpore noſtro ſecundùm Naturam ex cibo potúque genita*. 2. Quæ vel *Alimentaria* eſt, vel *Excrementitia*. 3. Prior vel minùs propriè talis, ut *Chylus*, 4. vel magis propriè talis, ut *Chymus*, ſeu *Maſſa ſanguinea*, quatuor in ſe continens humores alimentarios, *Primarios* dictos, *Sanguinem* videlicet, *Pituitam, Bilem & Melancholiam*. 5. De humorum alimentariorum ſecundariorum, *Humoris* nempe *Innominati*, ſeu demenſi, *Roris, Glutinis & Cambij* reali exiſtentia, neceſſitate & ordine non abſque efficacibus rationibus multùm dubitatur. 6. Humores *Excrementitii*, [illegible] ij ſunt *Naturales Utiles*, ut *Lac, Semen, Sanguis maternus, Bilis flava in veſicula fellea, Melancholia in liene & Serum ſeu Ichor ſanguinis*. 7. Quorum priores tres tantùm ratione *quantitatis* [illegible], poſteriores verò ratione *qualitatis* Excrementitij dicuntur: 8. alij *Inutiles*, ut *Urina, Sudor, Lachrymæ, Sanguis puerperij, aurium Sordes, Mucus narium &c.* 9. Humores *Excrementitij Præternaturales* non huc, ſed propriè ad Pathologiam ſpectant.

X. Licèt FACULTAS à quibusdam non incongruè dividatur in *Animalem, Vitalem, Naturalem & Genitalem*, 2. non tamen ideo neceſſe eſt, tribus illis SPIRITIBUS *Animali, Vitali & Naturali* addere etiam quartum, ſcilicet Spiritum *Genitalem* ſeu gignitivum; 3. quia *Hic* illorum trium mixtura eſt, adeóque ſpecificam & peculiarem differentiam non conſtituit, uti Temperamentum non qualitatem diſtinctam à quatuor primis. 4. Præfatæ quatuor *Facultates* nec ſpecie quidem, nec ſedibus diſtinguuntur; 5. In certis tamen quibusdam partibus reſidere dicuntur; ut in *Jecinore* Naturalis; in *Teſtibus* Genitalis; in *Corde* Vitalis; in *Cerebro* Animalis: 6. non quaſi ſingulæ aliæ corporis noſtri partes non contineant easdem & inſitas habeant, 7. ſed quòd in illis magìs vigeant & præcipuè reſideant tanquam earum principalibus Organis: 8. quæque vel Inſtrumentum ſuppeditent, ut in actum alibi deducantur, 9. vel materiam ſubminiſtrent, ut ibidem conſerventur. 10. Unde fit, quòd ab ijsdem Facultatibus pro varia diſpoſitione Organorum procedant ACTIONES vel *Animales*, vel *Vitales*, vel *Naturales*, vel *Genitales*, 11. Mediantibus *Spiritibus* 12. *Inſitis & Influentibus*, 13. tanquam primis & proximis Animæ in obeundis FUNCTIONIBUS inſtrumentis.

XI. Singularum Corporis PARTIUM *Structura, Actio, Uſus* & quidquid ad hæc tria referri poteſt, meliùs dignoſcuntur

EX ANATOMIA,

XII. QUÆ in genere eſt *Peculiaris in Humanum Corpus, Ejúſque Partes*, 2. vel per realem *manûs operationem & artificioſam ſectionem*, 3. vel per mentalem duntaxat *ratiocinationem & Logicam* [illegible] *inquiſitio*. 4. Non *Medicis* ſolùm, tā ad Sani[illegible] ad abditas profundè latentium morborum ſedes & receſſus detegendos, viásque [illegible] inteſtino eijciendo commodas deprehendendas, maximè neceſſaria, 5. ſed etiam *Theologis, Juriſconſultis & Philoſophis*, imò *Omnibus aliis cujuſcunque conditionis Hominibus* apprimè utilis.

XIII. Siquidem per lucidiſſima *Anatomes* perſpicilia in Homine, tanquam erudiſſimo volumine, ab ipſa DEI manu miraculosè edito, omnium optimè Magnalia DEI legent & diſcent *Theologi*.

XIV. In hac tam mirabili corporis ſtructurâ 2. partiúmque *Continentium & Contentarum*, 3. *Eſſentialium & Integralium*, 4. *Propriarum & Communium*, 5. *Similarium & Diſſimilarium*, 6. *Spermaticarum & Sanguinearum*, 7. *Animatarum & Inanimatarum*, 8. *Principum & Miniſtrarum*, 9. *Nobilium & Ignobilium* nexu habebunt *Juriſconſulti* ordinatiſſimæ & non niſi optimis legibus inſtructæ Reipublicæ vel Monarchiæ Exemplar.

XV. In quo COR, tanquam totius corporis Monarcha vitæque Princeps, 2. mediam Provinciarum ſuarum inhabitans, 3. & in oſſeo *Thoracis* Caſtello reſidens, 4. Coſtarum ſatellitio cuſtoditũ, 5. in intimo ſuo conclavi, *Pericardio*, 6. proprio *Sudori*, in totius Boni publici commodum fuſo, quaſi innatans, 7. & perpetuo motu agitatum, 8. imò præ ardentiſſimo Ejusdem amore certè conflagraturum, 9. niſi continuo *Pulmonarij flabelli* blando afflatu nonnihil contemperaretur, 10. gratiarum & virtutum ſuarum fontes, *Spiritum* nempe *Vitalem*, & quadruplicatum illud Vivificum Nectar Salutaris Stellæ, *Sanguinem Arterioſum* puta, in univerſum corpus, *Arteriarum* (quarum radix eſt) miniſterio, ex æquo liberaliſſimè diſpenſat.

XVI. In CAPITE, tanquam ſpectatiſſimâ Curiâ, ſupremus Cancellarius *Intellectus cum reliquis ſapientiſſimis Conſiliarijs Intimis* de Principis ſui, totiúſque Reipublicæ comodis promovẽdis, incomodis arcẽdis &c. maturè ac ſedulò deliberat: 2. Actiones definit: 3. Cauſas ab *Exterioribus quinq; Senatoribus*, fideliſſimis illis Referendarijs ordinatè repræſentatas, [illegible] hujus Collegij Secretario (*Senſui Communi*) ad Protocollum datas decidit, judicat, 5. atque ſententiam latam *Principis Voluntati* ratificandam ſubmittit. 6. Ibidémque ſummus Provinciæ Præfectus, *Animalis Facultas* ſenſûs motûsque principium, rerum gerendarum ordinem in univerſam ditionem diſtribuit, Principis mandata edit, edicta publicat, 7. fideliſſimo *Spirituum* ſuorum internuntio, 8. per ordinarias *Nervorum* vias.

XVII. VENTRICULUS in Abdomine poſitus induſtrium Telonarium agit, omniaque vectigalia, famularum ſuarum, *Attractricis, Retentricis, Coctricis*, ope collecta, per *Chyloſin*, mediante Calore proprio & peculiari fermento, in unam maſſam argento fuſo ſimilem (*Chylum*) cogit, 2. eámq; ex officio ſuo ſtatis temporibus per *venas Meſaraicas & Lacteas* Ducali Cameræ, Sanguinis nimirum Spiritúſque Naturalis officinæ Præfecto ac Theſaurario HEPATI transmittit.

XVIII. QUOD deinde maſſam illam redituum è Telonio receptam, propriâ ſuâ virtute ulteriùs præparatam, & per *Hæmatoſin* in aliam formam purpuream (*Sanguinem venoſum*) immutatam, *Spiritúque Naturali* fœtam, omnibus & ſingulis ſtipendiatis partibus in functionum ſuarum mercedem pro neceſſaria alimentatione, per *Homioſin* privatim inſtituenda, juxta debitam cujuslibet proportionem, *venarum* (quarum origo eſt) famulitio diſpertit. 2. Atq; nobiliſſimo iſthoc munere, à primordio ſuæ exiſtentiæ ſibi concredito, ſempérque laudabiliſſimè geſto, ab Adverſarijs ſuis violenter privari, omníque vertiginis periculo immune, nullis (ingenioſiſſimis licèt) Harvejanæ cruentæ PERICYCLOSEOS technis præcipitari ſe necdum ſinit.

XIX. Hepati in officio certo modo aſſiſtit LIEN, aliquam ſaltem *Maſſæ ſanguineæ alimentariæ* partẽ, à Jecore acceptã, ulteriùs elaborando; 2. non tantùm pro nutritione ſui metipſius, ſed etiam aliarum partium infimi ventris, quæ nempe per venas ex Portâ oriundas cum illo habent commercium, ut *Ventriculus, Inteſtina omnia, Meſenterium, Omentum &c.* 3. Cæterùm LIEN *Fiſco Regio* à Trajano perappoſitè comparatur, quò plùs enim ille [illegible] *Melancholico* ſibi fiſcali, ex Jecinore propriâ vi attracto augetur, eò magis ſingularum corporis partium privatæ opes diminuuntur. 4. Eundem Curſoribus, vel cuique alteri ſine vitæ periculo certò eximi poſſe, vulgaris duntaxat fabula eſt.

XX. UTERUS ad præcavendam Sereniſſimæ hujus Reipublicæ præmaturam fatalem extinctionem, eiúſque perennitatẽ propugnandam, ſtrenuum militem, *Fœtûs* nomine appellatum, novem plerumque menſium ſpatio, quandoque tamen citiùs vel tardiùs, nunc unum, nunc plures, modò ritè formatum, modò deformem ac monſtroſum, in campum legitimè producit. 2. In cujus Conformatione omnia ſunt principium, & omnia finis, *generatione*, non verò *perfectione*. 3. Cauſa Conformatrix ejusdem ultimata & perfectiva eſt ipſa ANIMA RATIONALIS. 4. Quam inanimi Embryonis corpuſculo, virtute Efformatrice, ſpirituoſæ Seminis parti inſitâ, primis ſtatim poſt conceptionem diebus ruditer delineato, ab ipſo Naturæ Authore infundi, ipſámq; ſui corporis & habitaculi ulteriùs Architectricẽ agere, probabile quidem videtur Medicis quàm plurimis: 5. Juriſconſultis verò, de pœna abortum procurantibus infligendâ dubijs, amplexanda ſuadetur ſententia (utpote media ac tutiſſima) Pauli Zacchiæ, Medici & Legisperiti excellentiſſimi, *lib. 1. Quæſtion. Medico-Legal. Tit. 2. quæſt. 9.* ita concludentis: *Licet non ſit unus omnium formationis & coagmentationis terminus, tamen ſupra ſexageſimum tam maſculum quàm fœminam ſemper pro animato habendum eſſe, atque eâ ratione teneri de homicidio* (ac conſequenter ultimo ſupplicio plecti poſſe) *qui proveſtiorem conceptum bimeſtri, abortu eijci procuravit.*

XXI. Reliquarum Partium hîc non expreſsè memoratarum, propè innumerabilium, aliæ vel immediatè ipſi *Principi* varia miniſteria præſtant, 2. Vel *primariis Officialibus* ut ſecundarij ſubſunt & famulantur: 3. aliæ ut induſtrioſi Cives & laborioſi Subditi vel ad *totius Boni publici Individui conſervationem, vel Speciei propagationem, utilitatem, commodum, incrementum, perfectionem, ornatum &c.* pro cujuslibet facultate ſalutarẽ operã conferunt.

XXII. Etenim tam accurata eſt ordinatiſſimi hujus Regiminis *Politia*, ut nemo ſine fruge toleretur, 2. ſed omnis generis *otioſi & vitioſi*, ſive *Indigenæ*, ſive *Advenæ*, aliàs per longiorem moram *inteſtini aliquando hoſtes evaſuri*, in determinatis priùs *ergaſtulis* aliquantiſper ſequeſtrati, tandẽ ut *inutilia terræ pondera, populi fœces & excrementa*, è tota Provinciâ, apparitoris publici (*Expultricis*) vi, per varias vias eliminãtur ac æternùm proſcribuntur.

XXIII. *Philoſophis* in corpore humano non niſi compendioſam magni Mundi Mappam, totius univerſi Ideam & Epitomen, ipſius Naturæ Sapientiam & Finem, imò verum MICRO-COSMUM mirari licebit.

XXIV. In quo CAPUT humanæ Mentis ac Rationis ſedes, Sapientiæ domicilium, Memoriæ, Iudicij, Cogitationum, atque adeò Intelligentiarum quaſi officina, editiſſimo loco poſitum, ſupremam illam & *Angelicam* mundi partem, cujus nutu inferiora omnia gubernantur, pulchrè refert. 2. Mediam & *Cœleſtem* (in cujus medio præeſt SOL tanquam Dux & Moderator reliquorum ſiderum, radiis & lumine ſuo omnia illuſtrans, perenni motu & calore vivifico univerſa exhilarans & conſervans) COR in medio *Thoracis* ſitum, perpetuâ motione ſuâ, vitalíq; calore *Parvum* hunc *Mundum* reficiens atque conſervans verè repræſentat. 3. Tertiam demum & *Elementarem* magni Mundi partem, cujus in procreandis, augendis, alendíſque animalibus & ſtirpibus mira eſt fœcunditas, infimus VENTER, nutritionis & procreationis inſtrumenta continens, oſtendit.

XXV. Inter Planetas Solis inſtar COR, irradiandi & vivificandi poteſtate inſignitum prælucet. 2. Humectam Lunæ vim humida CEREBRI refert medulla. 3. Venerem RENES exprimunt. 4. Mercurium varium PULMONES, nec non facundiæ & venuſtatis inſtrumenta exhibent. 5. Benefico Jovi HEPAR, gratioſi vaporis fons, confertur. 6. Martis incendium & furorem FELLIS in ſe concipit VESICULA. 7. Saturni frigidum ſidus flaccida LIENIS caro, humoris Melancholici receptaculum, indicat.

XXVI. Si petantur quinque corpora ſimplicia, *Æthereum* nempe & quatuor *Elementaria*? Stellarũ corporibus proportione reſpondent SPIRITUS: 2. Elemento Igni BILIS: 3. Aëri SANGUIS: 4. Aquæ PITUITA: 5. Terræ MELANCHOLIA qualitatũ temp[illegible] aſſimilatur.

XXVII. Corpora mixta & quidem imperfecta ſeu *Meteora* ſi deſiderentur? Fulgores primùm terrificos & Coruſcationes ignitas *Oculorum Excandeſcentiæ*, *rubræ Suffuſiones & inde emicantes Effulgeſcentiæ* indicant: 2. *Inteſtinorum Rugitus, Borborigmi, Murmura &c.* mille Tonitruum ſpecies exhibent: 3. ingruentem Flatuum vim, Ventorúmque Tempeſtates turbidas *Cruditatum Exhalationes*, *Aurium Sibili & Tinnitus* pronunciant: 4. In Faucium ſpatia, Laryngem, Thoracem *defluens Humor* Pluvias & Imbres inſinuat: 5. *Concuſſivi, Convulſivi, Tremuli & Palpitantes Motus* Terræ motus deſignant: 6. *Lachrymæ* Rori comparantur: 7. *coacta rotundáque Sputa* Grandinis gerunt ſimilitudinem: ut And. Laurent. lib. 1. Hiſt. Anat. cap. 2. concinnè exponit.

XXVIII. Nec deſunt Micro-coſmo corpora mixta perfecta, diverſa nempe *Animantium* tũ ſub Pilorum virgultis generatorũ; 2. tum in Cerebri, Aurium, Pulmonum, Ventriculi, Hepatis, Veſiculæ felleæ, Veſicæ, Uteri aliarúmque partium latebris naſcentium genera; 3. Imò & ipſe *Homo*, animal & mixtum perfectiſſimum.

XXIX. Denique in hoc veridico Speculo *cuilibet* conceditur NOSSE SEIPSUM.

EX PATHOLOGIA.

XXX. MEdici pro Fine ſuo, qui eſt SANITAS, tantò præſtantior, quantò magis non *vivere* vita eſt, ſed *bene valere*, rectiùs conſequendo bene aſſignant tres Status corporis humani, *Sanum, Neutrum & Ægrum*. 2. De hoc PATHOLOGIA tractat, quæ eſt *Scientia de Rebus, quæ homini in ſtatu contra Naturam accidere poſſunt*. 3. Quarum tres in genere ſunt, *Morbus, ejus Cauſa & Symptoma*.

XXXI. MORBUS æquè bene definitur per *Impotentiam agendi*, quàm per *Affectum contra Naturam, actiones partium corporis humani primò & per ſe lædentem*. 2. Hujus tria ſumma genera ſunt, *Intemperies, Mala Structura & Soluta Unitas*. 3. Quarum natura tamen non conſiſtit in Qualitatum exceſſu, aut Structuræ vitio, aut Unionis ſolutione quà talibus, ſed in *Modo aliquo ſuperaddito contra naturam eſſe*. 4. Nullus Morbus eſt *Subſtantia*, ſed ſemper *Accidens & Qualitas*: 5. Cujus *Subjectum* eſſe poteſt *quælibet pars corporis humani, ſeu agat, ſeu uſum præſtet*. 6. Verùm ſpecialior Morborum diviſio varia eſt; deſumpta à varietate *Intemperierum, Malæ Structuræ & Solutæ Unitatis*: 7. item à varietate accidentium, quæ vel ipſi morborum *Formæ & Naturæ*, vel *Subjecto*, vel *Cauſis*, vel *Effectibus* ſupervenire ſolent. 8. Quorum omnium cùm maximus ſit numerus, inde innumeræ ferme conſurgunt Morborum differentiæ *Eſſentiales & Accidentales*. 9. Tempus Morbi in genere duplex eſt: *Univerſale & Particulare*. 10. Utrumque deinde quadruplex: *Principium, Augmentum, Status & Declinatio*: 11. quæ ab actione Morbi & naturæ cum eo pugnâ deſumuntur. 12. Ad Tempora Morborum Particularia referuntur *Paroxyſmus, Periodus, Typus & Recidiva*.

XXXII. CAUSA MORBIFICA, quæ definitur *Affectus contra Naturam, morbum generans & mediante illo actiones lædens*, 2. duplex eſt in genere: *Procatharctica*, ſeu *Externa & Interna*: 3. Illa vel *Divina*, vel *Cœleſtis*, vel *Sublunaris*: 4. Hæc vel *Proëgumena*, ſeu Antecedens, vel *Synectica*, ſeu Continens. 5. Ad Cauſam *Divinam* impropriè refertur *Anima Rationalis* per vim imaginandi morbos generare potens; immediatè ſolùm ad intra, mediatè etiam ad extra. 6. Cauſam *Continentem* omnis habet morbus per *Impotentiam agendi* definitus, 7. non verò cauſam *Antecedentem*. 8. Datur quoque Cauſa *Congenita* morborum, 9. non rarò in ipſo nepote in actum erumpens; 10. quam quidem habent Morbilli & Variolæ; 11. non tamen neceſſariò in omni homine: 12. ſicuti & morboſi non neceſſariò morboſos generant.

XXXIII. SYMPTOMA, quod definitur *Affectus contra Naturam, Morbum ſequens velut umbra corpus*: 2. vel eſt *Actio læſa*, vel *Qualitas mutata*, vel *Vitium Excretorum & Retentorum*. 3. Non datur Actio læſa *Aucta*, quæ non ſub *Diminuta, Depravata & Abolita* contineatur: 4. nec *Audibilis mutata qualitas* à reliquorum quatuor ſenſuum vitiatis qualitatibus diſtincta. 5. Unum & idem diverſo reſpectu poteſt & *Morbus* & *Cauſa morbi, & Symptoma* eſſe.

EX SEMIOTICE.

XXXIV. SEMIOTICE (cujus exactior ſcientia mediam quaſi perficit Curam, propter Confidentiam ægroti, Semiotices ope procurandam à Medico) de triplici *Signorum* genere agit, *Salubrium* nempe, *Inſalubrium & Neutrorum*. 2. Potiſſima tamen ratio *Signorum Inſalubrium* habenda eſt, quòd moderno tempore *Ægri*, non Sani ad Soſpitatorem Medicum accurrant, immemores præcepti hujus ſaluberrimi: *Faciliùs eſt non admittere hoſtem, quàm admiſſum expellere*. 3. Signa hæc Inſalubria vel ſunt *Anamniſtica*, ſeu Rememorativa; vel *Diagnoſtica*, ſeu Demonſtrativa; vel *Prognoſtica*, ſeu Prædictiva. 4. Atque ea omnia vel *Pathognomonica*, ſeu Inſeparabilia; vel *Synedreva*, ſeu Separabilia; vel *Epigenomena*, ſeu Supervenientia; vel *Epiphænomena*, ſeu Manifeſtè apparentia; vel *Communia*; vel *Propria*; vel *Certa*; vel *Probabilia* &c.

XXXV. Signa *Anamniſtica* præteritum Corporis ſtatum in memoriam revocant. 2. *Diagnoſtica* præſentem patefaciunt, *Partem affectam* nempe, *Speciem morbi, ejusque Cauſam*. 3. *Prognoſtica*, ſitne futura Salus aut Mors, Criſis aut Lyſis; idque citò vel tardè, haud vanè præmonſtrant. 4. Deſumuntur hæc Signa ex *Antecedentibus, Eſſentialiter Inhærentibus, Eſſentiam Conſequentibus*, & *Comparatione* inter Juvantia & Lædentia, Similia & Diſſimilia factâ.

XXXVI. CRISIS eſt *Solutio morbi per Excretionem facta*; veluti eſt Sanguinis, Urinæ, Alvique profluvium, Vomitus, Sudor. 2. LYSIS eſt *Solutio morbi per Decubitum facta*, veluti eſt Apoſtema, Vomica, Puſtula. 3. Illa morbos *Acutos*, 4. Hæc verò *Longos* ſolvit. 5. Nulla tamen nec *Excretio* nec *Decubitus* ſalutaris fit, niſi accidat coctâ jam materiâ; 6. per loca conferentia; 7. ſecundùm venarum rectitudinem; 8. confertim; 9. convenienter pro morbi ſpecie, 10. ægrotantis naturâ 11. & parte affectâ. 12. Aliter ſi quid contingat, *Symptomaticum* habeatur.

XXXVII. Interea autem veritati non abſimile videatur, quod ex monumentis veterum Magiſtrorum noſtrorum, Galeni præſertim & Hippocratis ſatis clarè innoteſcit, Criſin etiam bonam non illis duntaxat diebus, qui juxta communem doctrinam ſub numero ſeptenario *Dies Decretorij & Critici* appellantur, ſed & quolibet alio die vel contigiſſe, vel contingere poſſe. 2. Adeóque rationem ſalutaris Criſeos non tam *proprietati præfatorum dierum, provenienti ex motu Lunæ ad ſigna quadrata & oppoſita, ejúſque aſpectûs variatione*, quàm *humoris morbifici caſtigationi & ſubactioni ſeu coctioni, & ejusdem expulſioni, vel ad loca nobiliora tranſlationi, ab ipſa Natura factæ* adſcribendam eſſe. 3. Illa verò *Coctio* cùm vario valde tempore fiat, pro ratione humoris, temporis, temperamenti hominis, regionis &c. vario etiam valde tempore, non certo, fit *expulſio* ejusdem humoris. 4. In noſtratibus autem hominibus rarò fit vera & perfecta Criſis propterea, quòd frigidam inhabitemus regionem, frigidiuſculis & impurioribus, ſcateamus humoribus, & ratio medicandi noſtra talis ſit, ut continenter in principijs etiam morborum medicamentis blandis Catharticis materiam morbificam carpamus & ſubducamus, atque ita Naturam a Criſi faciendâ divertamus.

XXXVIII. PROGNOSIS, ea Medicinæ pars, cujus auxilio futurorum Conſcij Vatis ſibi nomen comparare, ac invidos obtrectatorum dentes retundere poteſt Medicus, ex ſignis *Coctionis & Cruditatis* potiſſimùm deſumitur. 2. Eſt autem Coctio vel *Pepſis*, ſeu alimenti mutatio in ſubſtantiam nutriti: vel *Pepaſmus*, ſeu humoris peccantis melioratio, atque ad expulſionem præparatio. 3. Quarum Cauſa immediata eſt *Caloris Nativi copia & robur*; mediata ipſe *Medicus*. 4. *Cruditas* aut Pepſi aut Pepaſmo opponitur: 5. eſtque paſſim pauci *Caloris Nativi*, rarò *Erroris Externi* ſoboles. 6. Hinc per ſe patet, cur *Coctionis* ſigna bona, *Cruditatis* verò mala: 7. item cur hæc omnia in morbis præcipuè humoralibus, ac excretionibus univerſalibus, maximè ipſâ Urinâ locum habere poſſint.

XXXIX. URINA eſt *Excrementum liquidum omnium Coctionum*, 2. *principaliter verò ſecundæ*; 3. *generatum ex materia potulenta & ſero ſanguinis*, in Homine nato: 4. in Fœtu *ex ſolo ſero*: 5. *vi Renum ſecretum*, 6. *ut per meatum Urinarium excernatur*: 7. qui non idem eſt in Fœtu ac in Homine nato. 8. Duæ Urinæ partes communiter ſpectantur, *Liquor & Contentum*: 9. quæ pro accidentium ſuorum varietate varias Urinarum differentias conſtituunt: 10. non tamen Sanorum Urina neceſſariò *Contentum* habet. 11. De Cauſis & Prognoſi Urinarum nihil certi abſolutè ſtatui poſſe, ex eo patet, 12. quòd conſtet quotidianâ quaſi experientiâ, jam ad multum potum excerni Urinam paucam, & econtrà: 13. jam eam colorari frigore, 14. jam decolorari calore, 15. jam nigram ſalutarem, 16. jam ſubauream craſſiorem, *Contento*que meliore præditam, eſſe mortiferam. 17. Unde eſtusè ridendi ſunt illi Pſeudiatri, qui, tanquam ex Tripode Jovis haberent, quidvis occultius ex Urinæ inſpectione deprehendi poſſe vaniſſimè gloriantur, v. g. *Peſtem, Graviditatem, Fœtum maſculum aut fœmineum, omnium morborum Species, Cauſas, Subjecta*; item ex loco Contentorum ſuperiore vel inferiore *Affectus partium ſimiliter vel ſuperiorum vel inferiorum*: quin imò *Accidentia quædam aut Caſu aut Electione hominum evenientia &c.*

XL. PULSUS (Urinæ fraudes retegere aptus natus) eſt *Actio motiva* 2. *primariò Cordis*, 3. *ſecundariò etiam Arteriarum*, 4. *Syſtole & Diaſtole conſtans*. 5. Communis Pulſuum diviſio Logica potiùs eſt quàm Medica; 6. ideo illam, tanquam praxi inutilem, præſtantiſſimi Medicorum negligunt, jubéntque potiſſimùm reſpicere ad *Pulſus Æquales & Inæquales, Fortes & Debiles, Magnos & Parvos, Celeres & Tardos*. 7. Quorum Cauſa Efficiens eſt *Vis Pulſifica*, 8. à Corde manans in Arterias: 9. Inſtrum[illegible]alis Cor, *Arteria, & Sanguis contentus* 10. Formalis *Syſtole & Diaſtole*: 11. Finalis Caloris Nativi in debitâ ſymmetria Conſervatio, & *Spiritûs Animalis Generatio*. 12. Quæ duo *Uſûs* nomine paſſim veniunt: 13. Cauſa Alterans verò varia eſt, pro varietate *Rerum Naturalium & contra Naturam*. 14. Hinc etiam de Cauſis & Prognoſi *Pulſuum* abſolutè vix aliquid certi ſtatui poteſt.

EX HYGIEINE.

XLI. THEORICÆ Medicinæ, de quâ hactenus actum, immotæ veluti baſi innititur PRACTICA: 2. *Ars vel ad Sanitatem tuendam, vel reſtituendam comparata*. 3. Ars tuendæ Sanitatis HYGIEINE eſt, 4. conſtituta per legitimum ſex *Rerum non Naturalium* uſum, ita dictarum, 5. quòd bene utenti bonæ, malè utenti malæ ſint.

XLII. Legitimus ille Uſus duâbus his regulis generalibus circumſcribitur. 2. Quarum prima eſt, *ut omnia moderata ſint*: 3. ſecunda, *ut conſuetudo pro altera Natura habeatur* 4. Et quamvis non prorſus extra tuendæ Sanitatis limites ſit, interdum aliquem exceſſum facere, 5. *Ebrietas* tamen ceu feraciſſima corporis animíque morborum Mater fugienda eſt omnibus: 6. ſicuti & *Cœna plenior* Literatis, cunctíſque morbo Hypochondriaco laborantibus; cujus rei veritatem ipſum experimentum in plurimis jam comprobavit.

EX THERAPIA.

XLIII. ALtera Medicinæ Practicæ pars, morborum Curatrix, THERAPIA, 2. ſubinde ſimpliciter *Methodus Medendi* dicta, 3. Eſt *Ars remedia ad Sanitatem abſentem procurandam congrua inveniendi, iíſque legitimè utendi*. 4. Cuius tanta eſt præſtantia, ut omnes reliquæ partes totius Medicinæ huic quaſi famulentur; 5. útque ſine hac nulla morborum Curatio *citò, tutò, jucundéve* fieri poſſit: 6. quin imò optima ex ſe remedia nihil aliud ſint, ac *ignis & gladius in manu furentis*. 7. Atq; tribus veluti Columnis fundamentalibus fulcitur: *Indicatione, Indicante & Indicato*.

XLIV. INDICATIO eſt *Quædam ſyllogiſtica ratiocinatio*, 2. *modò explicita, modò implicita*, 3. *in Medici Dogmatici intellectu*, 4. *ex ſufficiente cognitione Indicantis & Indicati, tanquam majoris & minoris extremi*, 5. *citra experientiam & analogiſmum efformata*, 6. *ad auxilij, abſentis Sanitatis procurandæ gratiâ, inventionem inſtituta*. 7. Cujus diviſio deſumitur à *Rebus*, quæ corpori humano *ſecundùm & contra Naturam* accidunt: 8. & quidem à Rebus ſecundùm Naturam, unica: *Conſervatoria*: 9. à Rebus contra Naturam duæ: *Præſervatoria* à Cauſa morbifica: *Curatoria* à morbo. 10. A ſymptomate quâ tali nulla Indicatio deſumitur. 11. Inter Indicationes illius, quæ *determinata* eſt, potiſſima ratio habeatur. 12. Hæc *determinatio* haurienda eſt ex *Qualitatibus primis, earundem Gradu, Virtute Naturali, Situ &c.*

XLV. INDICANS eſt, *Quod per propriam eſſentiam remedium aliquod poſtulat*: 2. ſequitúrque diviſionem *Indicationum*: 3. ſunt enim Correlativa. 4. Omne *Indicans* debet in corpore vivente eſſe *Permanens, Intellectui notum, Agens & Unum*. 5. Inter Indicantia principem locum habet *Conſervatorium*: deinde quod alterius curationem impedit: demum quod plus periculi minatur. 6. *Coindicantia* autẽ & *Contraindicantia* cum damno ægri negliguntur.

XLVI. INDICATUM, ex Indicantis naturâ reſultans, eſt, *Quod juvat & ab Indicante agendum monſtratur*: 2. éſtque ipſum *Remedium*, 3. plerumque unicum quidem: 4. ſed illius materia triplex in genere: *Diætetica, Pharmaceutica & Chirurgica*. 4. Remedium duo conſideranda præbet Medico, *Speciem & Rectum Uſum*: 5. Illa conſiſtit in *Conſervatione ſimilium per ſimilia & Ablatione contrariorum per contraria*: 6. Hic in debita *Quantitate, Tempore, Loco, Modo & Ordine*.

XLVII. Materia Remedij DIÆTETICA eſt *Victûs Ratio* in ſex Rebus non Naturalibus pro vario ægri ſtatu obſervanda, 2. præſertim in *Cibo*. 3. Quæ à Virtute Vitali Totius indicatur, 4. & à Medicis triplex ſtatuitur: *Craſſa ſeu Plena*, ſanis Corporibus propriè debita, iíſque robuſtis & bene ſe exercentibus: 5. *Mediocris*, Chronicis affectibus conveniens: 6. *Tenuis*, in Acutis tantùm morbis præſcribenda, 7. pro diſtinctione graduum ſuæ *Tenuitatis*, morborum *Acutiei* gradibus correſpondentium. 8. In morbis *Longis* periculoſius ac gravius eſt delinquere in victu nimis *Tenui*, quàm in nimis *Pleno*: 9. at in morbis *Acutis* econtrà. 10. In uno morbo licet mutare formam victûs pro rei exigentiâ; 11. ſicut & in ipſâ *Acceſſione* aliquando cibare.

XLVIII. PHARMACEUTICA Remedij materia, uti maximè præcipua, ita & difficillima eſt *Purgatio*, 2. à *Cacochymia* effatu digna & in publica corporis Regione conſiſtente Indicata. 3. Eſt autem alia *Univerſalis*; quâ è publicis Corporis Regionibus humores excrementitij & noxij evacuantur; ut vacuatio per Alvum, Vomitum, per Urinas, Sudores, Tranſpirationem inſenſibilem, Salivationem ex inunctione Hydrargyrij: 4. Alia *Particularis*: quâ excernuntur humores ab una aliqua parte; ut à Cerebro per Maſticatoria vel Errhina; à Pulmonibus per Bechica; ab Utero per Peſſos &c. 5. Quæ vix tutò adhibentur, niſi præmiſſis univerſalibus. 6. E quibus maximum uſum tenet *Alvi Dejectio*, 7. vel per *Clyſterem* inſtituta, 8. vel per *Intusſumptionem cujusdam medicamenti, ſive lenitivi, ſive ſolutivi, ſive Cathartici*, 9. vi ſuâ occultâ & ſymphaticâ humorem excrementitium ſibi congenerem attrahentis, 10. & Naturam ad illius expulſionem irritantis. 11. Unde Pharmacum aliud dicitur *Cholagogum*, aliud *Phlegmagogum*, aliud *Melanagogum*, aliud *Hydragogum*, aliud *Panchymagogum*; 12. licèt quodlibet horum præter propriam & peculiarem vim determinatum & ſibi congenerem humorem proliciendi, generali vi purgandi præditum ſit, quâ in omnes humores obvios, præſertim immodicè exuperantes, aut in viâ ſubſiſtentes incumbit, communitérque evacuat, maximè cùm proprio humore fruſtratur. 13. Licet etiam aliquando *humores crudos & non turgentes* ritè evacuare, 14. ſaltem mediocribus Pharmacis. 15. Non poteſt dari *Remedium Univerſale*, aut *Quinta* aliqua Chymicorum *Eſſentia* propriè loquendo.

XLIX. Materia Remedij CHIRURGICA uſitatiſſima eſt *Sanguinis Miſſio* ſeu *Depletio*, 2. quæ à *Plethora* tam *ad Vires*, quàm *ad Vaſa*, tam *legitima*, quàm *notha*, principaliter Indicatur, 3. & vel *Venæ Sectione*, vel *Hirudinibus*, vel *Cucurbitularum Scarificatione* perficitur. 4. Eſtq; ab uſu alia *Revulſoria*: alia *Derivatoria*: alia *Evacuatoria*. 5. Singulis annis *Purgationem & Venæ Sectionem* quaſi ex conſuetudine adminiſtrare, maximè in Literatis pro Sanitate facit. 6. Convenit etiam in Cacochymiâ tam venarum vires gravante, quàm in *Cacochymia* cum calore vel putredine conjuncta extra venas: nec non in Febribus Peſtilentibus ac Malignis, Sanguinis, Alvíque Profluviis immodicis, corporis Tabe, Pueris, Senibus & Gravidis; idque non rarò ad animi deliquium uſque. 7. Scrupuloſa Venarum in brachio ſecandarum *Electio* nequaquam eſt Anatomico-medica; 8. ſed, quemadmodum & illa *Tabula deſignatoria* dierum ad Venæ ſectionem utilium, inutilium ac fatalium (quæ ab indocto vulgo pro *Revelatione quâdam S. Joannis* vanè & ineptè proclamatur) vel inter Aniles Fabulas, vel nugivendulorũ Calendariographorũ Inſomnia ac Phantaſmata reputari meretur.

L. Ad felicem & perfectam morborum Curationem ſequens neceſſariarum conditionum Decas requiritur: 1. Ipſorumet morborum *Curabilitas*: 2. Medici Galeno-Chymici *docta Experientia*: 3. Chirurgi *exacta Peritia*: 4. Pharmacopœi *ſingulare in faciendis Medicamentis Artificium & Sinceritas*: 5. Aſſiſtentium *indefeſſa & fidelis in Ægrum gubernando Induſtria*: 6. Ægrotantis *ſtricta Obedientia & Patientia*: 7. Remediorum ritè præparatorum *ſufficiens Proviſio & legitima Applicatio*: 8. Temporis *Opportunitas*: 9. Loci *Commoditas*: 10. Tandem & omnium maximè *inexplicabilis in Patiente & Agente Divinæ Gratiæ Efficacia*. Quæ ſi omnia in unum probè conſpiraverint, fieri vix poteſt, quin deſideratus certò obtineatur

FINIS

AD MAIOREM INCREATI PROTO-MEDICI GLORIAM, TOTIUSQUE INFIRMI GENERIS HUMANI SALUTEM.

Cum Permiſſu Superiorum. INGOLSTADII Typis JOANNIS PHILIPPI ZINCK Typographi Academici.

2° H. lit. 176